12

CLARISSIMI

D: DONATI KENELLI,

IVRIS VTRIVSQVE

DOCTORIS,

OPINIO

DE CENSVRA ECCLESIASTICA

NVPER LATA CONTRA

SVPREMVM CONCILIVM,

ET

RELIQVOS CONFÆDERATOS

CATHOLICOS REGNI HIBERNIÆ.

BIBLIOTECA VITTORIO EMANUELE IN ROMA

Conuentus S.tæ M.æ de Scala

KILKENNIÆ. 1648

Digitized by Google

Digitized by Google

In Dei nomine Amen.

CASVS.

SVpremum Concilium Confœderatorum Catholicorum Regni Hiberniæ, & reliqui confœderati præhabitâ maturâ deliberatione, ac de, & cum Conſilio Prouincialium Conciliorum eiuſdem Regni, & cauſâ prius intimatâ Clero, inierunt fædus, Inducias, ſiue Treugam, aut Ceſſationem ab Armis, cum Domino Barone de Inchiquin, propter rationabiles cauſas, videlicet. Pro bono, & tranquillitate reipublicæ, Religionis conſeruatione, & præſeruatione, vniuerſi Cleri, & populi, & ad præueniendum multis alijs ingentibus incommodis huic Regno imminentibus, quibus aut nullo modo, aut difficillinè reſiſti poterat ſinè magnâ Iacturâ, & multa ſanguinis effuſione, niſi huiuſmodi fædere inito. His accedebat quod Dictus D. Baro de Inchiquin proteſtatus eſt, & Declarauit ſe pro ſereniſſimo D. Rege noſtro vnde maius bonum ex tali Ceſſatione ſperabatur, & in dies ſperatur. Tandem ejuſmodi *C*eſſatione Publicatâ, & acceptatâ Illuſtriſimus D. I*oannes Baptiſta* Rinuccinus, Dei, & Appoſtolicæ Sedis gratiâ Archiepiſcop⁹, *Firmanus*, & eiuſdē ſedis apud Hibernos Nuncius Apoſtolicus extraordinarius

ordinarius, & quidam alij Reuerendiſſimi DD: Epiſcopi, aſſerti Delegati, & ſubdelegati ſub pænâ Excomunicationis latæ Sententiæ [Id eſt ipſo facto incurendæ] præceperunt, & Mandarunt omnibus, & ſingulis Confœderatis catholicis dicti Regni Hiberniæ, tam Eccleſiaſticis, quam ſecularibus, in quacunque dignitate, & præeminentiâ conſtitutis, ne eandem Ceſſationem quoquo modo fouerent, aut defenderent, neue eidem adhærerent niſi infra nouem dies a notitiâ habitâ dictæ ſententiæ, reſipuiſſent. Interim autem ante nouem dies prædictos Appellatio fuit interpoſita ad ſedem Apoſtolicam ex parte Supremi Concilij, & Confœderatorum prædictorum coram prædicto Illuſtriſſimo D. Nuncio, & reliquis Reuerendiſſimis DD. Epiſcopis prefatis, & præſentata, ac Apoſtoli petiti fuerunt cum debitâ inſtantiâ, & aſſignati.

Nunc quæritur quid juris? vtrum prædictum Supremum Concilium, & Confœderati ſic appellantes infra nouem illos Dies, tali Sententia ligentur, aut interpoſitione Appellationis huiuſmodi tuti exiſtant?

Reſpondetur quòd non ligantur, ſed quòd talis Appellatio omninò impedit Dictam

Senten-

Sententiam. Probatur quia Appellatio facta a ſententiâ etiam Excomunicationis, ſuſpenſionis, vel Interdicti latâ ſub conditione, vel in diem ſuſpendit, & impedit talem Sententiam, ſi ante Conditionis eventum, vel diei aduentum interpoſita fuerit, Cap: præterea, 40, ext: de Appellat: vbi caſus eſt in terminis. Verba autem textus hæc ſunt. *Præterea requiſiti fuimus, ſi quis Judex ita protulerit Sententiam, niſi Sempronio infra viginti dies ſatisfeceris, te Excomunicatum, vel ſuſpenſum aut Jnterdictum cognoſcas: ille in quem fertur ſententia, medio tempore appellans, ad Diem ſtatutum minime ſatisfecerit, vtrum ille tali ſententia ligetur, aut interpoſitione Appellationis tutus exiſtat? Videtur autem nobis, quôd huiuſmodi Sententiam Appellationis obſtaculum Debeat impedire.* Ita Cæleſtinus 3. author Dicti Cap: vbi gloſſa in verbo, Impedire, ſic ait: *& ita ſuſpenditur Sententia, quæ nondum tenet, non enim tenet niſi extante conditione, ex quo autem teneret non ſuſpenderentur eius effectus per Appellationem, &c.* confirmatur, quia Appellatio facta ante Sententiam, anullat ipſo Iure ſententiam poſtea latam, cap: cum contingit, 36, De of: Iud: Deleg:

cap

Cap: Dilecti; 52, de Appellat: Cap: per ſuas, ext: de Sent: Excom: & Cap: 7; §: ſed ſi ex cauſa, iuncta gloſſa ibidem, de ſentent: Excom, in 6. & totum Proceſſum, ac omnia poſtea attentata anullat, quia per Appellationem ligitimam, principale, & acceſſorium deferuntur ad Iudicem Superiorem; Cap: dilectis Filijs, 55; ext: de Appellat: vbi gloſſa in verbo legittime, vocat Appellationem legittimam, in qua probabiles cauſas expreſſit appellans: Atqui Appellatio facta a Sententia lata ſub conditione, vel in diem, ante Diei, vel Conditionis aduentum, eſt Appellatio ante Sententiam, per gloſſam in Dicto Cap: Dilectis Filijs, in verbo ſuſpendendum, vbi etiam dicit quod Appellatione interpoſita ante Diem Conditionis, non debet Iudex a quo poſteà, nec poteſt ferre, nec exequi Sententiam Interdicti; ergo talis Appellatio non ſolum ſuſpendit, & impedit Dictam Sententiam, ſed etiam totum proceſſum, & quecunque inde poſtea ſecuta anullat. imo etiam ſi huiuſmodi Appellatio efficiatur deſerta per Negligentiam appellantium, in non proſequendo eandem, tamen non ratificatur, nec Conualeſcit dicta Sententia propter huiuſmodi Negligentiam, aut deſertionem, Cap: licet

14; iuncta

Digitized by Google

14; iuncta gloſſa, in verbo, conualeſcat, De ſent: Excom: in 6.

Idem dicendum eſt deſententiâ lata ſub conditione nullo prefixo die, modo appelletur a tali ſententiâ infra Decem dies, gloſſa in dicto Cap: preterea, in verbo, impedire, De Appllat. vbi ait: *Sic & aliæ Sententiæ ſub Conditione poſſunt ferri, ſed ibi infra Decem dies eſt appellandum, &c.* Intellige infra Decem dies a data, notitia, Cap: Concertationi, de Appellat: in ſexto, Non poteſt enim Iudex a quo aufere alicui tempus decendij ſtatutum à Iure ad appellandum, cum ſit Iuris naturalis, argumento Clement: 2: de ſent: & reIud: Imo ab omni ſententia extraiudiciali, etiam pura & conditionali, & a Iudiciali inter locutoria appellare licet ante decem dies, Cap: 1: de appellat: in 6. ſufficitque appellanti tunc in ſcriptis apellare, & in ſua appellatione exprimere cauſem rationabilē, videlicet talem, quæ ſi eſſet vera, deberet legitima reputari, & quæ inferat appellantem fiuſſe grauatum, gloſſa ibidem. Nec tenetur appellans probare veritatem talis cauſæ coram Iudice a quo, aut coram eo amplius comparere in dicta cauſa, niſi ad hoc ſolum ut videat grauamen reuocari, ſi Iudex aquo meliùs informatus

velit illud reuocare, [illegible] non ob alium finem, Cap. ſi a Iudice, iunctâ gloſſa, de appellat. in 6.

Non obſtat 1. quod prædictæ Appellationi non fuit ſimpliciter delatum, & quod Apoſtoli tantum refutatorij fuere conceſſi, ſiue aſſignati partibus Appellantibus. Primo, quia non poteſt Iudex a quo non deferre Appellationi, in omnibus caſibus, in quibus à Iure permittitur appellare, etiã pro minimis cauſis, Cap: de Apdellationibus, ext: de Appellat: Atqui de Iure permittitur appellare a ſententia Excommunicationis, ſuſpenſionis, aut Interdicti latâ ſub conditione, vel in Diem, ante conditionis, vel diei aduentum, dicto Cap: preterea, de Appellat: & generaliter ab omni grauamine iuſto, vel probabili, appellare permittitur, Cap: cum ſit Romana, 5. §. ſi vero, iunctâ gloſſâ, in verbo, à grauanine, de appellat: & gloſſa in Cap: paſtoralis, 5 3. in verbo, expreſſè, & in verbo, emendari, eodem tit: ergo non potuit Iudex a quo [ſiue vnus, ſiue plures] non deferre prædictæ Appellationi ex parte Supremi Concilij, & reliquorum Confæderatorum interpoſitæ. 2. quia non debet obeſſe appellanti quod non fuerit ſuæ appellationi delatum, Cum Aopellatio eius iuſta fuerit, gloſſa

in

in dicto capit:paſtoralis, in verbo, emendari, Imo Appellatio porrecta iudici valet licet non fuerit coram ipſo lecta, Cap: Appellatio 9. de appellat: in 6. & ſi Apoſtoli non dentur, modo fuerint debitè requiſiti, Clement: 2. §. Vlt: de appellat: 3. Quia ſi appellationi debito tempore interpoſitæ iudex a quo non detulerit, ſed Apoſtolos ſolum refutatorios dederit, nihilominus totus proceſſus dicti iudicis, & omnia per ipſum attentata poſt huiuſmodi Appellationem ſunt nulla. Cap. licet, 14. de ſent: Excom: in 6. vbi gloſſa talem caſum ponit in hęc verba *Pone* (inquit) *quod fui Conuentus coram Iudice Eccleſiaſtico, coram quo propoſui aliquam exceptionem, Declinatoriam, forte quod erat Conſanguineus aduerſarij mei: vel aliquam exceptionem dilatoriam propoſui: Iudex noluit admittere iſtam exceptionem, ſed pronunciauit quod ea non obſtante procederet in principali: vnde appellaui in ſcriptis, & legitime expreſſa cauſa rationabili in mea appellatione. petij cum debita inſtantia, vt mihi daret Apoſtolos, qui Iudex dedit mihi Apoſtolos refutatorios aſſignando mihi terminum ad procedendum coram ipſo in principali, qua die adueniente non comparui.*

Ideo tanquam contumacem me excomu-

nicauit: Certumeſt quod ſi cauſa inſerta in mea Appellatione ſit vera, non ſum excomunicatus. Hactenus gloſſa, quæ ibidem notabili 1. intelligenda eſt de ſententia interlocutoria, lata ſuper aliquo articulo incidenti, & non ſuper principali negotio, iuxta cap: ſuper eo. de appell: Atqui in noſtro Caſu, debito tempore, id eſt, infra tempus præfixum nouem dierum, appellatum fuit ex parte Supremi Concilij, & Confæderatorum Catholicorum, & ex ueris, aut ſaltem probabilibus cauſis, ergo omnia acta, geſta, & attentata poſt interpoſitam dictam appellationem ſunt nulla, etiamſi apoſtoli dati fuerint tantum refutatorij. adde quod eo ipſo quod quis concedit apoſtolos, defert appellationi, cap: dilectis filijs, §: præterea, iuncta gloſſa, notabili 5, de appellat: ext.

Non obſtat 2. Quod Iudex a quo eſt Nuncius *A*poſtolicus, & ſic amplam habet poteſtatem, & fortè [quod plus eſt] in eius commiſſione inhibetur omnis *A*ppellatio. 1: Quia non obſtante Clauſula, *APPELLATIONE REMOTA*, poteſt ab eo appellari ante ſententiam, non ſolum quoad effectum deuolutiuum, ſed etiam ſuſpenſiuum, cap: ex parte, 47. & cap: poſtremò, 37. de appellat:,

&

 140

&glosſa in Cap: vt debit⁹, in verbo, abſq; rationabili cauſa, eodem tit: cuius interpretatio cõgruit dicto cap: ex parte, Nam in ſpecie illius cap: Appellatio fuit interpoſita ante ſententiam, nimirũ a prima citatione, qua Appellans fuit vocatus ad comparendum in loco non tuto; & tamen pronuntiatur pro validitate Appellationis, licet in commiſſione iudicis fuerit appellationis remedium intercluſum. & ſimiliter in ſpecie dicti cap. Poſtremo. Quo caſu ſuſpenditur ipſa Iuriſdictio Iudicis a quo, gloſſa in dicto cap: licet, in verbo, conualeſcat, De ſent: Excom: in 6:, & generaliter per Appellationem a grauamine interpoſitam ſuſpenditur Iuriſdictio iudicis, Cap: ſi à iudice, de Appellat: in 6. Atqui in noſtro Caſu Appellatio fuit facta in effectu ante ſententiam & a grauamine quia appellatio a ſententia ſub Conditione, vel in Diem, & extraiudiciali (qualis eſt ſententia de qua modo agitur) facta ante diei, vel Conditionis adventum, idem operatur, ac Appellatio facta ante Sententiam puré, & ſine Conditione latam in proceſſu iudiciali, ex ſupradictis per gloſſã in dicto Cap: dilectis filijs, in verbo, ſuſpendendum, Ergo per dictam Appellationem ſuſpenſa fuit iuriſdictio iudicis a quo, non obſtante clauſula, *APPELLATIONE REMOTA*

Digitized by Google

2. Quia etiam poſt ſententiam definitiuá Iudicialiter, & pure ſine vlla Conditione latam, licet in litteris Commiſſionis iudicis inhibeatur omnis Appellatio, poteſt tamen ab eo appellari etiam quoad effectum ſuſpenſiuum, non obſtante tali inhibitione, in omnibus caſibus in quibus a Iure expreſſé permittitur appellare, Cap: paſtoralis, iuncta gloſſa, in verbo, expreſſè, ext: de Appellat: imo ſi gravamen ſit probabile, ſiue ſit in Iure expreſſū, ſiue non, gloſſa ibidem in verbo, emendari: in noſtro autem Caſu licebat expreſſe appellare de jure, Dicto Cap: preterea, de Appellat. & Cauſa appellandi eſt ſaltem probabilis, cum dicta Sententia fuerit fulminata non re integra, id eſt, ante ceſſationem concluſam, quando recedi poterat cum honore, licet non ſine detrimento cauſę publicæ, ſed poſt ceſſationem ſolemniter initam, & fide publica firmatam, ergo Dicta Clauſula, *APPELLATIONE REMOTA*, non debet obſtare Appellationi prædictæ. Adde Declarat: Concil: Trident: Seſs: 25. de reformat: cap: 3. in verbo, (ſobrie tamen.) Sed vt ut ſit, de ſententia iudiciali & definitiua, certi iuris eſt clauſulam, *APELLATIONE REMOTA*, non officere appellationi a ſententia lata ſub conditione,

Digitized by Google

ditione, vel in diem, factæ ante diem conditionis, cum iure ipſo ita diſponente per huiuſmodi appellationem talis Sententia omninò impediatur, dicto cap: prętetea. nec proinde per nouam declarationem, aut confirmationem poſtea ſecutam, conualeſcat, iuxta ſuperius dicta, & conſequenter executioni demandari non poſſit, per gloſſam in Cap: dilectis filijs, in verbo, ſuſpendendum, de appellat: quia nullius ſententię, nulla eſt executio. Quo ſolo reſponſo ſatisfit omnibus iuribus, & authoritatibus in contrarium allegandis. quod autem dicitur ſententiam excommunicationis ſecum ferre executionem, id intelligendum eſt de ſententia definitiua pure, & ſine vlla cõditione lata, ante omnem appellationem.

Ex his patet nouam Declarationem, & Decretum irritans in Apoſtolis inſerta, & omnia attentata poſt interpoſitam Appellationem prædictam eſſe nulla. Quibus adde Cap: Romana, Eccleſia, de ſent: Excom: in 6. Vbi prohibetur tales Sententias Excommunicationis ferri; *ſiue ſpecialiter, ſiue generaliter in aliquos pro futuris culpis, Videlicet ſi tale quid fecerint, vel etiam pro iam commiſſis ſub hac formâ, ſi de illis infra tale tempus minime ſatisfecerint*, nec

Digitized by Google

proinde in preſenti caſu fulminari debuit Excominicationis, aut *I*nterdicti ſententia. *A*dde Cap: Venerabilibus. §. penult:eodem tit: nec non Cap: ſuper eo, eodem, ext: Vbi dicitur quod in materia Excommunicationis, ratione loci, & temporis detrahendum eſt ſeueritati.

Dices in dicto Cap: Romana, excipi niſi mora in exhibenda ſatisfactione, vel culpa, ſeu offenſa præceſſerit, & hoc in caſu, quia per Ceſſationem huiuſmodi retardatur ſeruitium, eſſe periculum in mora. Reſpondetur 1. quod illud ſupponitur, quod probari Debet, 2. reſpondetur quod in præſenti caſu non eſt culpa, vel offenſa inire fædus pro tempore cum hoſte, pręſertim ad euitanda multa incommoda iuſtè timenda, quibus rationibus ducti Confoederati Ceſſationem illam iniecerunt, edocti experientia præteritorum temporum, tot enim clades Sacerdotum, religioſorum, & innocentum, factæ *S*uperiori anno euincunt neceſſitatem huius Ceſſationis. hęc enim iure timentur, hęc de more vitantur, hęc humana fugit ratio, hæc abhorret natura vt in ſimili loquitur Clemens 5. in clement: 2. de ſent: & re iud: Nec eſt etiam iniuſtą mora propter eandem rationem. Deinde hæc mora,

&

&periculum,ac metus,quę exinde concipiuntur,ſunt de futuris contingentibus,quę incerta ſunt,gloſſa ad cap:4.de prebēd:& dignit:in verbo, expectant, in extrauagant: commun: ideoque talis mora,aut culpa non ſufficit ad infligendū Excōmunicationē, quia ſentētia excōmūicatiōis, vel ſuſpēſiōis,aut ïterdicti nō debet ferri niſi pro culpa, quę ipſo ſuo genere ſuſpenſionis, vel *E*xcōmunicationis pęnam inducat, Cap:Reprehēſibilis, 26, de Appellat: Imo debet etiā contumacia ſequi huiuſmodi culpam,nam licet delictum precedens ſit cauſa mediata, tamen contumacia, ſiue inobedientia eſt ſēper cauſa Immediata excomunicationis, gloſſa in Cap: 1. Notabili 1., de off: Vicarij, in 6. Confœdarati autem non fuere in Contumacia, quia ſtatim habita notitia dictę Sentētię latæ ſub conditione poſt Ceſſationem ſolemniter initam, & fide publica firmatam, debito tempore appellauerunt, nullus autem intelligitur contumax appellando, niſi fuerit incorrigibilis, & ſæpe delinquat in appellando, Ita vt ſic priuetur beneficio Appellationis, vt in eo puniatur, in quo peccauit, quod tamen non obtinet de Iure communi, ſed de ſpeciali Iure., gloſſa ad Cap:1. de reſcript: & in materia correctionis. Adde

Digitized by Google

quod per hanc Ceſſationem datur amplior poteſtas Confœderatis ad jmpugnandum reliquos ſuos jnimicos in alijs Regni partibus.

Nec obſtat quod Induciȩ ſunt breues, & quod ante finitam Ceſſationem dicta Appellatio non poſſit ſortiri effectum: Nam propter eandem rationem Clerus debebat abſtinere a proferenda dicta Sententia, maximé cum re integra, id eſt ante ceſſationem concluſam, nō fuerit lata, aut inflicta, & multo minus debet compellere confœderatos per cenſuram vt frangant dictum fædus pro tam breui tempore ſolemniter initum, & fide publica firmatum arg: L. 1. cod: ſi de moment: poſſ: quia, turpius eijcitur, quam non admittitur hoſpes, Cap: quemadmodum, ext: de Iureiurand: & præcipuè cum altera pars declarauerit ſe pro Sereniſſimo Dn̄o Rege n̄ro, & hoc bellum principaliter geſtum et ſuſceptū fuerit ad defendendum monarchiam contra Anarchiam, quam Parliamentarij introducere conabantur, & pro libertate patriæ; Non enim pax quæritur vt bellum excitetur, ſed bellum geritur, vt pax acquiratur. c. noli exiſtimare, 23, q. 1. Denique totum hoc quod allegatur, aut allegari poteſt in contrarium, non reddit nullam dictam Appellationem Per

cuius

cuius etiam Deſertionem non poteſt dicta Sententia vnquam conualeſcere, vt patet ex ſupradictis, in quo ſtat cardo difficultatis. nec etiam illa exceptio Cap: Romana, facit ad caſum præſentem, vt liquet ibi ex gloſſa, vbi per exempla explicat illa verba, *niſi mora, culpa, ſeu Offenſa praceſſerit.* nec per illa verba inhibetur Appellatio in caſibus in quibus loquitur Dictum Cap: n§: caueant. Non enim quæritur quid ex huiuſmodi Ceſſatione timendum ſit, aut quid agendum; Sed ſolum an dicta Appellatio ſit valida, & an per eam ſuſpenſa, & impedita ſit prędicta Sententia?

7 Adde quod ſi Catholici cum hęreticis publicum fædus ineant, non poteſt per authoritatem Pontificiam ſolui, aut relaxari, vt Docet Paul: Layman in ſua Theologia morali, tract: 3. Cap: 12. Q 5. Conclus: 4. Ac proinde inire foedus, ſiue Ceſſationem pro tempore cum hæreticis, non eſt materia Excommunicationis. & multo minus fidei, ergo ineuntes talem Ceſſationem non poſſunt Excommunicari etiam ab habente authoritatem pontificiã, pro eo quod nolunt dictam Ceſſationem ſoluere, aut relaxare. Habemus enim in iure expreſſũ quod Eccleſia poteſt, & Debet

compellere frangentes fędus, aut Ceſſationem ad obſeruationem eiuſdem, propter læſam fidem, Cap: nouit ille, ext: de *Iud*: ſed contrarium non legimus, nam in priori caſu agitur de læſione fidei, ideoquę Eccleſia ſe intromittit per Dictum cap: nouit, ſecus in poſteriori. his accedit quod per huiuſmodi ceſſationẽ ab armis non-impeditur, nec tollitur Catholicæ religionis propagatio, ſed potius, ad eam ampliandá planior, & plenior ſternitur via, & idcirco Excommunicationis ſuſpenſionis, aut interdicti pęná ex ſuo genere non inducit. Ita ſentit ſaluo ſemper meliori iudicio.

DONATUS KENELLUS
I: V: D:

Cum ſupra, dicta opinione concurrit

Gulielmus Young.

By the Supreame Councell

imprimatur

Dounboyne, Lucas Dillon, Ricardus Bellings, Geraldus Fenell, Iohanes Walshe, Patri: Brian, Robertus Deuereux.

Æquus Lector corrigat Mendas.

FINIS.